

c. In publ. Oratorio.

Ad dub.: An in Oratorio publico Dioec. Comen. per Sacerdotes ab Ordinario approbatos excipi valeant quocumque tempore sacramentales Fidelium confessiones independenter a parochi?

S. C. resp.: *Negative.*

Die 17. Maii 1749.

Ad dub.: An in Oratorio publico liceat retinere sedes confessionales pro confessionibus audiendis?

S. C. resp.: *Negative nisi de licentia E. Abbatis.*

Die 13. et 17. Junii 1744.

21) Confraternitatum.

Vd.: *Sedes Laicorum.*

22) Diaconi et Subdiaconi.

Vd.: *Sedes Ministror. in missa* (decr. n. 4603); *Sedes Celebrantis et Ministr.*

23) Dignitatum et Canonicorum.

a) Ad Altare.

Cf.: *Sessio; Assistens Episcopo* (sedes); *Sedes Celebrantis etc. Chorus* (ornatus); *Sedes Cleri in Synodo. Usus Pontifical. Sedes hebdomadarii; Canonici* (praecedent.)

Canonicus *paratus* celebrans Vesperas seu Matutinum sedere debeat in primo stallo, hoc est ab una parte in stallo Decani, ab altera in stallo Archidiaconi, ita ut sedes Archiepiscopi *canonicalis* ipso absente, remaneat vacua, quando ab ea parte sedere contingit Celebrantem. N. 555 die 31. Mart. 1618.

Non licere Canonicis Cathedralis, quando assistentiam faciunt Episcopo Divinis assistenti, sedere in scamnis coopertis sed super scabellis nudis juxta Caerem. l. I. cap. VIII., non ob-

stante allegata consuetudine. N. 874 die 24. Aug. 1630.

Omnes Assistentes in eodem plano sedere debere, si locus sit capax. N. 898 die 8. Febr. 1631.

Praepositum uti posse suppedaneo et postergali, quando solemniter celebrat pro Episcopo et in casu impediti Praepositi eandem praerogativam deberi etiam alteri Celebranti pro Episcopo. N. 998 die 1. Apr. 1634.

Dignitates et Canonicos solemniter celebrantes non sedere debere *coram Episcopo* in sede cum postergali. N. 1303 die 23. Mart. 1641.

Non licere Praeposito et aliis ejusmodi, qui Pontificalia exercere nequeunt, uti cathedris serico ornatis, quibus utuntur Episcopi celebrantes. N. 1488 ad 8 die 16. Maii 1643.

Pannum laneum viridis coloris sericeis ornatibus ejusdem coloris circumductum ad scamnum Dignitatis solemniter celebrantis cum tapete suppedaneo adhiberi licere. N. 2127 die 3. Septbr. 1661.

Celebrans (Canonicus) sedere debeat prope altare in cornu Epistolae cum scamno tapete parato tam in Vesperis quam in Missis, prout in posterum servari mandavit S. C. n. 2572 die 19. Decbr. 1671; n. 2679 die 3. Mart. 1674.

Non licet Canonico Cathedr. Burgi celebranti sedere in sede cum suppedaneo cum Ministris hinc inde adstantibus in missa cantata, Episcopo missae eidem cum cappa in throno assistente. N. 3516 ad 2 die 4. Apr. 1699.

Episcopus potest ordinare, ut Canonici sedeant in sedibus chori vel scamnis

apud altare hinc inde juxta usum introductum, prout sibi melius videbitur.

S. R. C. die 25. Mart. 1608 ad 11. *Alexandr.*

Ad dub.: An liceat, praesente Episcopo, Dignitatibus et Canonicis Cathedralis Terulan. intra vel extra Ecclesiam Cathedralis adhibere in privatis functionibus ecclesiasticis sedes cum brachiis et subsellis aut solum uti debeant scabellis vel scamnis, quemadmodum utuntur Episcopo Pontificalia exercente?

S. C. resp.: *Negative ad primam partem et affirmative ad secundam.* N. 3987 ad 3 die 20. Aug. 1729.

In diebus festis, in quibus celebrant Canonici (Cathedr. Bituntinae), scamnum ornari debet eodem panno serico, quo utuntur Dignitates. N. 4064 ad 1 die 31. Aug. 1737.

Ad dub.: An Canonici, qui s. vestibus induti assistunt Episcopo exercenti Pontificalia, sedere debeant super scabellis panno coopertis?

S. C. resp.: *Negative.* N. 4075 ad 27 die 19. Julii 1738.

Ad dub.: An tolerandus sit abusus, qui nimium invaluit, adhibendi in missis sol. pro Celebrante loco scamni cooperti tapete sedes camerales serico damasceno ornatas et pro Ministris similia scabella, vel potius reprobandum? S. C. resp.: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.* N. 4590 ad 7 die 17. Septbr. 1822.

Cf. *Instructio Clem. §. XXV. n. 1 et 2.*

Ad dub.: An idem ornatus, qui juxta Caeremoniale convenit amboni, in quo sermo et concio haberi solet, permitti possit in scamno, in quo sedent Dignitates et Canonici solemniter celebrantes?

Et Emmi PP. eidem C. praepositi . . . respondendum censuerunt ut infra, videlicet:

Negative et adamussim servetur dispositio Caeremonialis Episc. l. II. cap. III. n. 4.

Atque ita responderunt et statuerunt. N. 4590 ad 5 die 17. Septbr. 1822.

Facta autem de praemissis SSmo D. N. Pio VII. P. M. relatione per me infrascriptum Secretarium, S. S. cuncta benigne approbavit decretumque desuper expediri et publici juris fieri mandavit, locorum Ordinariis stricte praecipiens, ut omnimodam illius observantiam urgeant. Die, mense, anno, quibus supra.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Caeremonialis dispositio circa ornatum ambonis, in quo sermo et concio habenda est aut Epistolae et Evangelia decantanda solemniter sunt, et illum scamni parandi pro Canonico Officia solemniter peracturo apertum ponit discrimen. Nam *lib. 1. cap. 12. n. 18.* legitur: *Ambones, ubi Epistolae et Evangelia decantari solent, si qui erunt, nec non et pulpitum, ubi sermo vel concio haberi solet, consentaneum est pannis sericis ejusdem coloris, cujus sunt caetera paramenta, exornari: secus vero jubet l. 2. cap. 3. n. 4. de ornatu scamni pro Celebrante, quem esse vult panno coopertum in cornu Epistolae: quod si occupare debeat stallum seu primam sedem chori ab ea parte, quae eidem illa hebdomada obtigerit, in ea sede ponitur pulvinum et alterum cum tapete super alio scamno seu genuflexorio ante se posito, super quo etiam ponitur liber serici coloris ceterorum paramentorum tectus, et ubi non adest tale scamnum, in aliquo legili, quod ponitur ante Celebrantem et removetur, prout opus*

est, quo casu tapete sternitur ante ipsum Celebrantem. Ubi autem Caeremoniale vult ornatum sericum, exprimit; quando vero utitur uno vocabulo *pannum* sine adjuncto: *lanicum*, significare voluisse videtur serica sint oportet et coloris convenientis Officio diei, quae ad ornatum *ambonis* et ad *librum* cooperiendum adhibenda sunt, non autem quae ad ornatum sedis seu scamni pro Celebrante: haud enim pro eodem determinatus est color et cum stragulum Celebranti apponendum tapete vocabulo designetur, non ex alia materia quam lanea textum esse debet. Verum etiamsi quis vellet super interpretatione verborum immorari, ut inde concluderet, vocabulum genericum *pannum* sericum non excludere, fateri tamen debebit, latum esse discrimen inter ornatum Ambonis et alterum pro sede Celebrantis, de quo dumtaxat in dubio quaeritur. Composita igitur res erit, si Caeremonialis distinctio adamussim servetur.

b) In Choro.

(Gradus.)

Vd.: *Thronum Episcopi* (gradus; decr. n. 4906.)

c) Infra Concionem.

Status Ecclesiastici.

Quaesitum fuit a quodam Praelato Gubernatore civitatis Status ecclesiastici, qui tempore Episcopi Cardinalis sedebat ad conciones audiendas loco aliquantulum distante a dicto Cardinali et in sede aliquantulum inferiori, utrum modo, quo non adest amplius Episcopus Cardinalis, debeat aequali loco sedere? Et s. Congregatio respondit, quod faciat, prout faciebant sui antecessores tempore, quo Episcopus non erat Cardinalis.

Die 4. Julii 1626.

(Anal. J. P. 1863. p. 190.)

Vd.: *Sedes pro concione.*

d) Fixa.

Piscien.

Praepositus Piscien. a S. Rituum Congregatione declarari institit: an sibi competeret sedes fixa et permanens in sua ecclesia et videatur comprehensus in decreto edito super usu pontificalium. Et s. Congregatio perpensis juribus ab eo deductis ac praesertim literis erectionis Collegiatae Ecclesiae sa. me. Leonis X. censuit: Praeposito Piscien. non competere sedem fixam et permanentem eaque uti tantum diebus sibi permissis cum duobus gradibus et ad formam decreti praedicti.

Die 12. Junii 1660.

(Anal. J. P. 1863 p. 364.)

e) Mutandae vel non?

Ad dub. Episcopi Gerunden: an praesente Episcopo in choro tempore divinar. Officiorum secundae Dignitati vel aliis immediate sequentibus et etiam Canonico seu Canonicis liceat, absentibus prima vel altera vel etiam omnibus Dignitatibus, occupare primam sedem post episcopalem primae Dignitatis vel aliam seu alias successive?

S. C. resp.: Praesente Episcopo servandam esse antiquam consuetudinem.

N. 3840 die 22. Aug. 1711.

Cf.: *Sedes hebdomadarü.*

Vicarium gen. non posse sibi mutare sedem sed sedere debere in loco solito et consueto. N. 1184 die 19. Nov. 1639.

Stallum Vicarii debere manere fixum nec ab aliis unquam eo absente occupandum. N. 3296 ad 1 die 20. Dec. 1692.

Canonicis non licere occupare stallum Vicarii gen., dum ipse uti Archidiaconus in suo stallo sinistrae partis sedet. N. 2122 die 23. Julii 1661.

f) Ordo.

Vd.: *Sedes Dignit.* etc. (ad altare n. 555.) *Coadjutor Primicerii; Sedes Cleri in Synodo; Sedes Vicarii gener.*

Convenientius esse, ut digniores Canonici sedeant in sedibus, quae sunt propinquiores et viciniore sedi episcopali. N. 374 ad 14 die 15. Mart. 1603.

Vicarius ad curam animarum in Cathedr. deputatus (non Canonicus) non potest sedere in sede Canonicorum. N. 616 die 14. Febr. 1626.

Primae Dignitati primum stallum deberi et sic deinceps ordine successivo. N. 1502 ad 4 die 14. Maii 1644.

In choro nihil esse innovandum quoad sedes et genuflexoria Canonicorum. N. 1544 ad 8 die 16. Sept. 1645.

Quando chorus est in medio Ecclesiae ante altare, canonicorum sedes seu stalla esse debere ad dexteram Episcopi in forma quadrata, prout sunt sedilia Em. DD. Cardinalium Presbyterorum in capella palatii pontificii, qui locus est dignior loco a sinistris Sedis episcopalis; locum vero pro Vicario gen. posse destinari a sinistris extra gradus solii episcopalis. N. 3238 die 20. Jan. 1691.

An dub.: An Praepositus (Cathedr. Anagninae) in locis, ubi ob deficientiam sedium fixarum chori Canonici sedent in scamnis sive in s. functionibus sive in congressibus canonicis, debeat, praesente vel absente Episcopo, sedere in illis, servata praerogativa primi loci, sive potius sit pro eo ponenda sedes honoraria cum appodio ad humeros?

S. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam. N. 4040 ad 3 die 21. Apr. 1736.

Canonici Colleg. Sabiniani retinere possunt arbitrio Episcopi proprium

Stallum Archidiaconi Aprutini fixum et situm immediate ad dexteram sedis episcop. non potest a Vicario occupari. N. 3342 ad 1 die 2. Octbr. 1694.

Praeposito Cathedr. Ferrarien. non licere occupare stallum Vicarii. N. 3569 die 31. Julii 1700.

Non licet Canonicis occupare seu sedere in stallis pro Dignitatibus destinatis tam praesentibus quam absentibus. N. 3593 ad 5 die 13. Aug. 1701; n. 3612 ad 5 die 11. Febr. 1701.

Sedes Dignitatum absentium non debere occupari ab aliis Dignitatibus sive Canonicis, sed unamquamque Dignitatem in proprio stallo permanere debere. N. 958 die 30. Apr. 1632.

Non licere Canonicis Cath. Asculi occupare sedem Archidiaconi celebrantis. N. 2264 die 15. Mart. 1664; n. 2289 ad 1 die 30. Aug. 1664.

Absente Praeposito ejus stallum in choro debet esse vacuum neque ab alio ex Canonicis occupari potest. N. 2475 ad 7 die 23. Mart. 1669.

Capuana.

Non posse inter missarum et divinarum officiorum celebrationem Canonicos Metropolitanae Capuanae occupare sedes Decani et Archidiaconi, si forte absint, sed unumquemque in suo stallo permanere debere sacrorum Rituum Congregatio decrevit.

Die 12. Martii 1618.

(Anal. J. P. 1863 p. 152.)

Sedes Dignitatum absentium non debent occupari ab aliis Dignitatibus seu Canonicis, sed unaquaeque Dignitas in proprio stallo permanere debet: sedes vero absentis vacua esse debet. Sacra Congr. Rit. in Capuana 12. Martii 1618 et in Placentia 25. Maii 1632.

scamnum extra Presbyterium, interveniente Magistratu pro audiendis concionibus aliisque functionibus. N. 4250 ad 1 die 12. Apr. 1755.

In divinis Officiis prima sedes in choro non competit Archidiacono habitu choralis induto sed Canonico hebdomadario etiam s. vestibus parato. N. 4358 ad 21 die 7. Decbr. 1771.

Canonicus Cathedr. Burgi supplicavit, ut omissis distributionibus quotidianis sui canonicatus interesse possit in choro supra alios Canonicos in habitu praelatitio.

S. C. resp.: Non licere interesse in choro sine habitu canonicali. N. 809 die 31. Mart. 1629.

Canonico *commoranti* apud Episcopum nullum locum peculiarem in choro competere. N. 1002 die 19. Aug. 1634.

24) Episcopi.

a) Assistantis.

Sedem Episcopi assistantis in Ecclesia abbatali exempla debere esse in cornu dextero chori sive Ecclesiae collocandam, uno gradu eminentiorem respectu sedis abbatalis et a latere Episcopi sequantur immediate Canonici Cathedralis; in sinistro vero cornu ponendam esse sedem Abbat., uno gradu humiliorem absque ornatu et loco aliquatenus inferiori, adeo ut non sit opposita sedi Episcopi et apud abbatem ordine sedeant Canonici Colleg. N. 232 ad 3 die 7. Febr. 1604.

Cf.: *Sedes Abbatis; Sedes Episcopi.* (Forma etc. decr. 44.)

Licere Archiepiscopo extra chorum sibi sedem erigere, ubicunque voluerit, et convenire ut Canonici suum Praelatum sequantur et ut ei debita fiat assistentia juxta formam libri Caerem., sed si cum suis Canonicis divinis Offi-

ciis assistere voluerit, locum pro ipsis etiam Canonicis parandum esse. Inconveniens enim est, ut Archiepiscopus divinis assistens a Canonicis longius separetur, et ideo si chori forma mutari non potest, melius esset ut sederet in choralis sede. N. 313 ad 2 die 9. Maii 1606.

Licet Episcopo Vercellen. retinere, aliam sedem cum baldachino extra Presbyterium pro audiendis concionibus. N. 3079 die 10. Febr. 1685.

b) In choro.

Vd.: *Sedes Episcopi* (forma etc.; in nocte Nativ.)

Sedes Episcopi in choro existentis debet esse quasi fixa et immobilis, juxta dispositionem libri caeremonialis in tit. de sedibus Episcopi. S. C. R. in Colimbrien. die 23. Maii 1603.

Sedes Episcopi in choro existentis ornanda et serico vel alia materia coloris congruentis tempori, juxta regulam libri caeremonialis d. tit. de sedibus Episcopi. S. C. R. in d. Colimbrien.

Sedes Episcopi et chorus Canonico- rum, si fieri potest, debent reduci ad formam libri caeremonialis. S. C. R. in Granat. die 9. Maii 1609.

In quibusdam regionibus ordinarie chorus, ubi sedet Clerus, situs est ante altare, sicuti describitur a Caeremoniali Episcoporum lib. 1. cap. XIII n. 2 et tunc ex antiqua consuetudine et ex ipsa constructione chori loca digniora, immo sedes non solemnibus Episcopi, de qua loquitur Caeremon. lib. 1, sunt remotiora ab altari, prout fieri innuit posse idem Caeremoniale lib. 1. cap. XIII. n. 3. circa finem. Saepe insuper chorus separatur ab altare per amplum Sanctuarium. In tali dispositione rerum quaeritur: quatenam sit chori pars dignior, in qua collocari debet praedictum stallum

Episcopi: estne pars ex latere epistolae utpote sita ad dexteram Cleri conversi ad altare, vel pars a latere evangelii, utpote sita ad dexteram altaris?

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2201.)

c) Extra chorum.

Potest tamen Episcopus sibi sedem in Ecclesia extra chorum ubicunque voluerit parare, dummodo etiam pro Canonicis locus paratur. S. C. R. in Granaten. Die 9. Maii 1606.

d) Cur in Eccles. Cathedr. semper et in aliis eccles. non semp. retinenda?

Vd. t. III. p. 680 b. 683.

e) Ad concionandum.

(Modus Episcop. comitandi ad d. sedem.)

Juxta Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. VIII. n. 48 Episcopus solemniter celebrans, si concionem habeat, id facit in sua propria sede vel apud ipsum altare secundum variam dispositionem locorum. At ubi magna distantia adest ab altari vel a sede episcopali ad populum, necesse est ut Episcopus concionaturus adeat suggestum, ex quo conciones solent fieri, alioquin a populo suo non audiretur. Quaeritur ergo: an in hoc casu praeter ministros de libro, candela, baculo, mitra, gremiali, cum his insignibus episcopalibus insuper Acolythi de candelabris cum cereis accensis, Diaconus evangelii, Subdiaconus, Diaconi assistentes debeant associare Episcopum eum praecedendo ad dictum suggestum, ibique manere tempore concionis ab Episcopo factae. Quae praxis conformis videtur regulis a s. Carolo traditis in IX. Concilio Mediolanensi de praedicatione editionis seminarii Pata-

vini anno 1754 §. III. et in instructione de praedicatione verbi Dei, de ritu concionandi §. 409. Si vero non omnes praedicti ministri debent tunc comitari Episcopum, quaeritur quinam ex illis?

S. C. resp.: Quoad primam partem: *negative*; quod secundam: Canonicos tantum throno assistentes Episcopum in casu comitari debere regulasque a s. Carolo traditas spectare ad ritum ambrosianum.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2198.)

f) In Eccles. exemptis.

Episcopus in Ecclesia debet in sublimiori loco sedere; c. *Episc. 10. dist. 95.* Episcopus in omnibus suae dioecesis Ecclesiis quantumvis exemptis et privilegiatis est honorandus eique in choro, in capitulo, in Processionibus ac in aliis actibus publicis primus locus et prima sedes, quam ipse elegerit, danda est. S. C. R. in Tullen. Die 7. Decbr. 1613.

Sedes Episcopi in Ecclesia exempta, ubi Abbas usum Mitrae habens etiam sedem tenet, quando illuc accedit, est in cornu dextero chori sive Ecclesiae collocanda uno gradu eminentiori, cum ornato congruo et situ aliquatenus superiori respectu sedis Abbatis, quae in sinistro ponenda est uno gradu humilior absque ornatu et loco aliquatenus inferiori, adeo ut non sit opposita sedi episcopali. S. C. R. in Alexandrina s. Petri in Borgolio die 7. Febr. 1603 et in decreto generali circa usum Pontificalium in respons. ad 15. edit. 27. Septbr. 1659 et declarat. ab eadem S. C. die 20. Julii 1560.

g) In Ecclesiis extraneis.

Cf.: *Baldachinum Episcopi in Eccles. pa-roch.* decr. n. 3837; *Sedes Episcopi assist.*

Ad dub.: 1) An Cathedralis et Solium ob Episcopi adventum in Colle-

giata Ecclesia suae Dioecesis erectum, illo quoque absente et in suam residentiam reverso in Collegiata Ecclesia retinere liceat?

2) Num in adductis rerum circumstantiis ob consuetudinem generalis lex alicui exceptioni subjiciatur?

Et s. Congregatio in ordinario coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata perpensis libratisque omnibus praesertim iis, quae jam sancita fuere per decreta in Ugentina diei 23. Julii 1661 et in Naulen diei 17. Julii 1711 exquisito etiam voto alterius ex apostolicarum caeremoniarum Magistris scriptis pandito praeloque cuso, ad relationem Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis D. Placidi Zurla Ponentis respondendum censuit: „Juxta votum Magistri Caeremoniarum, nimirum ad primum negative, ad secundum: legem generalem in casu nulli subjici exceptioni.“

Et ita decrevit et servari mandavit. Die 26. Aprilis 1834 n. 4720.

NOTA GARDELLINI AD HOC DECRET.

Votum autem ab altero ex apostolicarum caeremoniarum Magistris exaratum praeloque cuseum est tenoris sequentis, nimirum:

Emmi et Rmmi Patres.

Ab ipsis ecclesiae incunabulis sanctissime cautum est, ne par esset omnibus vel locis vel personis honor, sed pro vario uniuscujusque munere ac dignitate diversa quoque insignia et honores singulis haberentur. Quae sane agendi ratio fovendae fidelium pietati, peculiari templi alicujus sanctitati verendae, externi denique cultus, concinna quadam ipsius varietate, pulchritudini amplificandae mirifice consulit. Dolendum vero est, sapientissimum hocce ecclesiae consilium saepius frustrari homines, qui de suo potius quam de religionis honore solliciti sta-

tutum invertunt ordinem, aliena sibi vindicant jura, usurpant privilegia, ex quo dissensiones ac jurgia inter sacros ecclesiae ministros miserrime oriri quotidiana experientia docemur.

Hujusce rei exemplo sit, quod in sua Dioecesi contigisse scribit Bosanensis Episcopus, a vobis, Eminentissimi Patres, expostulans, ut quaestio per se non adeo extricatu difficilis irrefragabili hujus s. Congregationis judicio penitus dirimatur.

Est in Sardiniae regno Basanensis Dioeceseos pars exigua, oppidum vulgo *Cuglieri*, Ecclesia parochiali et Collegiata recens insignitum. Illuc scilicet anno 1810 s. r. Pius VII. Bosae Episcopum misit, ut apostolici Delegati munere honestatus Ecclesiam ipsamet parochialem in Collegiatam erigeret. Ibi cum forte Episcopus sacris daret operam, factum est, ut a Capitulo sedes illi pontificalis et solium de more attolleretur. Rebus ad exitum deductis Bosam remeavit, quin ob ejus discessum Cathedram episcopalem ab Ecclesia Collegiata Capitulum amoveret. In cujus rei notitiam ubi post aliquot annos ventum est, nunquam destitit Episcopus Canonicos Collegiales hortari, imo etiam jussu cogere, ne diutius sinerent sedem episcopalem et solium in illorum ecclesia conspici; at frustra. Imperanti siquidem Episcopo acriter restitere dictitantes, paucorum annorum consuetudinem sibi liquido suffragari. Quare cum nulla jam spes Episcopo superesset futurum ut aliquando reluctantes suae parerent auctoritati, regni Vice-Regem in opem imploravit, qui invitos Canonicos ad obedientiam adegit. Interim Episcopus judicium vestrum expectat, ut quid sibi in posterum agendum sit, innotescat.

Quoniam vero R. P. D. hujus S. C. Secretarius mihi munus commisit haec super re nonnulla disserere, dicam breviter quid sentio, neque enim per-

tractio isthaec, si quid modo video, ejus naturae est, ut possit in longum sermonem me revocare. Tota si quidem quaestio in eo sita videtur, utrum:

Ad dub. 1.: Num Cathedram et Solium ob Episcopi adventum in Ecclesia Collegiata suae Dioecesis erectum, illo quoque absente et in suam residentiam reverso, in eadem Collegiata Ecclesia retinere liceat?

Ad dub. 2.: Num in adductis rerum circumstantiis lex generalis alicui exceptioni subjiciatur? Non est autem cur in prioris dubii solutione diutius immoremur. Si quis enim paulisper vel ad Cathedrae episcopalis institutionem vel ad praxim in ecclesia nullo non unquam tempore servatam mentem advertat, facere quidem non poterit, quin deprehendat memoratos nuper Canonicos longo in errore versari. Quid enim, quaeso, causae est, quamobrem Sedes episcopalis vel ab ipsis ecclesiae primordiis Cathedra nuncuparetur, nisi quod illam ascendat Episcopus, ut populum doceat, oves sibi concreditas ex eminentiori loco despectet et rursus ab iisdem suspiciatur? Nec certe aliter sibi voluit antiquitas, dum Sedem episcopalem multis gradibus elevandam jussit, ita quidem, ut modo illum *sublimem thronum* appellet S. Gregorius Nazianzenus, modo in *altissimo loco posita* describatur ab Eusebio hist. eccl. lib. VII., quibus apprime concinit Prudentius hymno, quem in s. Hyppolyti Martyris laudes conscripsit, ubi Cathedrae eminentiam ex eo repetit, quod inde Episcopus populum alloquatur:

„Fronte sub adversa gradibus sublime Tribunal tollitur, Antistes praedicat unde Deum“.

Ut qui nemo unus inficias iverit haec omnia praesentem supponere Episcopum. Quomodo enim absens

populum alloquatur Deumque praedicet? Cum igitur hisce de causis Cathedra episcopalis invecata fuerit cumque haec necessario pastoris praesentiam efflagitent, ratio ipsa vult, ubi desit Episcopus, nil prorsus esse, quamobrem in qualibet demum ecclesia, Cathedrali seclusa, fixa ac permanens illi sedes collocetur. At enim in parochiali Collegiata Ecclesia elata olim Sedes pontificalis fuit. Quid ergo? num inde jus capitulum acquisivit eandem perpetuo retinendi? Adveniente nimirum Episcopo merito extructa est, at eodem alio abeunte inique retinetur. Omnes etenim norunt, reliquis Episcoporum privilegiis illud quodque ad censerem, quod in omni Dioeceseos parte, praesertim vero in Collegiatis Ecclesiis, dum solemniter vel sacra peragunt vel sacris intersunt, jure suo queunt sub solio pontificali sedere. Hoc tamen privilegium ita Episcopo personaliter adhaeret, ut simul ac alio se conferat, nefas omnino sit Cathedram in ecclesia, licet Collegiata, fixam immotamque persistere. Utriusque rei indubia proferam documenta. In authentica collectione decretorum S. R. C. legere est: Episcopum Grossetanum consuevisse certis anni temporibus, ut aeris beneficio frueretur, in oppido suae Dioeceseos commorari, unde a Plebano illius ecclesiae praeter alia obsequia hoc insuper sibi ab eo praestandum S. R. C. supplicaverit: *erigendi in eadem ecclesia Sedem pontificalem cum baldachino*. Et S. C. respondit: *Episcopo competere*. Episcopo, inquam: privilegium siquidem est, quod illum indivisum, ut ita dicam, comitatur, quin unquam in ecclesiam dimanet, in quam fortuito vel etiam integrae Dioeceseos visitandae ergo semel advenerit.

Hinc intelligitur cur Matrix Civitatis Ecclesia, ubi residet Episcopus, *Cathedralis* dicatur. Id enim obtinuit

ob singulare privilegium, quo ab reliquis totius Dioeceseos ecclesiis discriminatur. Cum enim in istis sedes episcopalis tamdiu perduret, quamdiu apud eas Episcopus degit, illa ex adverso perpetuo Cathedrae pontificalis honore cumulatur. Hinc apud vetustissimos ecclesiae scriptores nullibi *fixa* sedes occurrit, nisi ubi Episcopus resideret. Pro omnibus sufficiat Eusebius hist. eccles. lib. VII., qui refert thronum seu Cathedram s. Jacobi Apostoli, primi Hierosolimorum Episcopi, adhuc suis temporibus Hierosolymis extasse, quam Episcopi, qui illic ordine successerunt, permagno aestimant. Quoniam vere sedes numquam auferrebat, hinc in hemicyclo absidis templi erat parieti affixa, lapidea, gradibus elata, quemadmodum cum in aliis tum praesertim in Basilica s. Clementis in praesentiarum quoque videre est, quae summorum Pontificum venerationem et curas sibi perpetuo vindicavit. Illic enim ex Cathedra, quae conspicitur, bis homilliam habuisse dicitur s. Gregorius Magnus et memoriae proditum est frequentissime illuc Romanos Pontifices ad sacra peragenda convenisse, ut ex pluribus constat antiquitatum monumentis, quae penes Mabillonium aliosque in unum congesta reperiuntur. Aliquid simile de minoribus Dioecesium ecclesiis afferi nequaquam poterit. Scio hoc momentum negativum esse; at cum in alienae sententiae patrocinium positiva desint argumenta ad rem demonstrandam non parum inservit.

Neque ullum profecto negotium accessit aequum Episcopo jus esse sive in Collegiata Ecclesia solio pontificali uti. Perperam enim inde concluderetur, eidem, sacris non interessenti, in Ecclesia Collegiata fixam sedem episcopalem collocandam fore. Cum enim istud antistitum privilegium non in Collegiatas modo sed et in reliquis

totius Dioeceseos minores ecclesias extendatur, unaquaeque pro lubitu posset Cathedram pontificalem attollere eamque perpetuo ad se retinere, quod nemo sanus dixerit. Quid vero si hujusce s. Congregationis decreta in hisce negotiis alias edita in memoriam revocemus? Legatur, quaeso, *Ugentina* die 23. Julii 1661. Ex ea constat, defunctum Episcopum, Lanfrandum nomine, in Collegiata Ecclesia terrae vulgo *Spechie*, in qua *residebat*, sedem episcopalem erexisse; capitulum insuper et Canonicos, ubi Episcopus e vivis discessit, a s. R. C. petiisse, Cathedram a Canonicis ejusdem Collegiatae removeri, ne duae Cathedrae in una tantum Dioecesi erectae reperirentur. Et s. Congregatio *Vicario injungi* mandavit, *ut praedictam sedem amoveri et in loco abdito servari praecipiat*. Quod si s. R. C., deficiente Episcopo, Collegiata *Spechie* Ecclesiam Cathedrae privilegio spoliata declaravit, quamvis terram illam Episcopus in suam residentiam elegisset, quanto magis id pronuntiasset de Ecclesia Collegiata Bosanensis Dioeceseos, ad quam Episcopus Pii VII. jussu convolvavit, cum mente ex ea discedendi, simulac missionis scopum adimplevisset?

Neque minus id evincit quod in eadem collectione occurrit. Quaesitum enim fuit: an Episcopus Naulen. posset in qualibet suae Dioecesis Ecclesia Cathedram episcopalem erigere cum baldacchino, etiam tempore, *quo Episcopus non residet*, et functiones episcopales in dicta ecclesia non exercet, maxime si parum distet, nempe per milliarum circiter ab Ecclesia Cathedrali? Et s. R. C. censuit respondendum juxta votum, nempe: *negative*, et ita declaravit et decrevit die 11. Julii 1711.

Quae sane ejusmodi sunt, ut rem omnino conficiant viamque sternant

ad prioris dubii responsonem. Cum enim Cathedrae institutio unicam in universa Dioecesi episcopalem sedem admittat, cum singulari hoc privilegio tantummodo Cathedrales Ecclesiae pontiantur, cum s. haec eadem Congregatio minoribus ecclesiis idem sibi jus postulantibus se adversam ostenderit, priori dubio respondendum videtur: *Negative*. In altero, quod expendendum mihimet ipsi proposui, brevius quoque me expediam. Canonici siquidem oppidi vulgo *Cuglieri*, consuetudinem quamdam obtrudunt. At quamnam, rogo? Quae scilicet paucorum annorum ambitu continetur. Utcumque tamen haec sit, ut nunc non in magno ponam discrimine, illud certum exploratum est, nullam prorsus consuetudinem, licet diuturnam, privilegii vim habere et jus inducere, nisi quae sit *rationabilis*. Atqui consuetudo, qua memorati saepius Canonici innituntur, praecipua hac dote destituitur. Et vero, quomodo rationabilis habenda erit consuetudo illa, ex qua plura eademque maximi momenti in ecclesiarum privilegia, in Episcopi auctoritatem, in ecclesiae proximam damna atque incommoda proficiuntur? Ut enim praetermittam istam Canonicos Collegiales, ecclesiae, cui inserviunt, decori plus nimio consulentes injuria invexisse, haec Cathedralibus Ecclesiis peculiare jus adimit; hinc exortae reliquorum querimoniae, hinc jubentis Episcopi auctoritas sprete, neglecti denique ritus et ecclesiae ministri vi saecularis brachii ad obsequendum coacti. Nemo tamen unus, inquiet, fortasse quispiam per longum temporis spatium reclamavit. At quomodo, quaeso, poterat, cum hujusce ausus ignoratione premeretur? Caeterum ex iis, quae postmodum contigere, facile unusquisque valet conjectura assequi Episcopum et Canonicos Ecclesiae Cathedralis id aequo

animo passuros non fuisse, si rem ab initio compertam habuissent. Quare videtur posse rescribi: *legem generalem in casu nulli subijci exceptioni*. Paucis sentiam meam, Eminentissimi PP., aperui, quare judicio vestro libens subijcio, apud animum mihi proponens, ea, qua par est, veneratione prosequi quidquid a sapientia vestra declarari decernique contigerit.

h) Fixa.

Vd.: t. III. p. 684.

i) Forma, locus, ornatus.

Vd.: *Faldistorium: baldachinum Episcopi; Thronum; Sedes Episcopi coram SSmo. exposit.*; *Sedes Episcopi in ecclesiis extraneis et exemplis* (decr. n. 4720 nota); *Sedes Episcopi in choro et extra Praesb.*

Praeter thronum ad epistolae cornu Archiepiscopus curet aliam sibi sedem cum ciborio in choro construendam inter dignitates, quae sit magis pressa et humilis quam thronus; et quotiescumque Nuntius assistet, ob reverentiam Sedi apostol. debitam Ordinarius a throno discedat sive celebret sive divinis officiis assistat. N. 44 ad 4 die 16. Febr. 1593.

Archiepiscopum Taurin., dum pontificaliter celebrat, uti posse faldistorio in loco decenti, id est in cornu epistolae posito, etiam praesente Nuntio apostolico, et sedem Archiep. in choro erigendam esse; quae si in medio inter dignitates commode erigi non posset, in alio digniori loco construatur, ita ut dignitatibus praecedat et a superiori parte ciborium habeat, ab inferiori autem duobus sit gradibus elata et haec quidem Nuntio praesente ob reverentiam Sedis apostol., vel faldistorio utatur; illo autem absente, uti poterit alia sede pontificali. N. 71 die XVIII. Cal. Jun. 1593.

Sedem Episcopi debere esse fixam